

Pius II. ernennt NvK zu seinem Legaten und Statthalter in Rom und einigen genannten Provinzen des Kirchenstaats. Er erteilt ihm umfassende Befehls- und Jurisdiktionsgewalt und beauftragt ihn mit der Reform der vier römischen Hauptkirchen St. Peter, St. Paul, S. Giovanni in Laterano und S. Maria Maggiore und aller anderen Kirchen und Klöster Roms. Darüber hinaus solle er, auch mit militärischen Vollmachten, Frieden innerhalb Roms und zwischen den Baronen des Kirchenstaats stiften. Die Privilegien der Ordensgemeinschaften und Hospitäler sollen dem Legationsauftrag nicht entgegenstehen.¹⁾

Or., Perg. (Bulle an Hanfsehnur): BERNKASTEL-KUES, *StiB, Urk.* 38. Unter der Plika: Ja. Lucensis.²⁾

Kopie (gleichzeitig): ROM, *Arch. Vat., Reg. Vat.* 515 f. 132^r-134^v.

Drucke: Meuthen, *Die letzten Jahre 143f.* Nr. VIII (Auszüge); Kortenkamp, *Urkunden 115-120* Nr. 59.

Regest: Brosius/Schleschewitz, *RG VIII* 639 Nr. 4563.

Erm.: Scharpff, *Cardinal I* 279; Pastor, *Geschichte der Päpste II* 23; Marx, *Armen-Hospital* 33; Vansteenbergh, *Cardinal* 188f.; Klibansky, *Plato's Parmenides* 13; Haubst, *Studien* 31; Meuthen, *Die letzten Jahre* 28; Meuthen, *Schlaglichter* 45; Strnad, *Studia piccolominea* 340; F. Grass, *Ablaßbrief, CGS* 495; Scarcia Piacentini, *In Brunnecha absolvi* 725; Monfasani, *George of Trebizond* 169; Baldi, *Pio II e le trasformazioni* 154 *Ann.* 30; Rossi Caponeri/Pettinelli, *Nicola Cusano e la città di Orvieto* 14f.; Senger, in: *b XV* 2, *XIX*; Brösch, *Testament* 42; Rehberg, *Stadt und Kommune* 243, 248f.; Helmrbath, *NvK in Rom* 157.

Pius episcopus servus servorum dei dilecto filio Nicolao tituli sancti Petri ad vincula presbitero cardinali in Urbe nostra Romana, Patrimonii sancti Petri in Tuscia, Campanee, Maritimae provinciarum necnon specialis commissionis ac Sabine et Arnulforum terris³⁾ pro nobis et Romana ecclesia in temporalibus vicario generali salutem et apostolicam benedictionem. Dum onus universalis gregis dominici superna
5 dispositione nobis iniunctum attenta meditatione prospicimus, licet nobis potestatis assit plenitudo, fines tamen humane possibilitatis excedere non valentes videntesque etiam, quod nequimus circa singula per nos ipsos exsolvere debitum apostolice servitutis, nonnunquam fratres nostros sancte Romane ecclesie cardinales viros electos ex pluribus scientia preeditos et virtute, in quibus timor domini sanctus permanet, in solitudinis partem assumimus, ut ipsis vices nostras supplementibus et ipsorum cooperatione laudabili
10 nos alleviantibus nostri oneris gravitate ministerium nobis commissum favente divina gratia facilius et efficacius exequamur. Sane licet ad cunctorum Christifidelium provincias, civitates, terras et loca nostre mentis aciem attente extendamus, Urbem tamen nostram Romanam, beatorum apostolorum Petri et Pauli innumerabiliumque sanctorum sanguine respersam, Patrimonii sancti Petri in Tuscia, Campanee et Maritimae provincias necnon terras specialis commissionis, ducatum Spoletanum, Perusinum ac Sabine et
15 Arnulforum terras tam temporaliter quam spiritaliter nobis et apostolice sedi immediate subiectas et eorum populos universos ipsius Romane ecclesie speciales filios et devotos precordialiter intuemur, et super eorum felici regimine prospero, pacifico et tranquillo affectamus specialiter providere.

Attendentes itaque, quod tu potens es opere et sermone, quem in magnis expertum et arduis eximia probitate et fidelitate probatum gratiarum dominus largitor providentie magnitudine, industrie claritate,

¹⁾ Pius II. hatte NvK bereits am 11. Dezember 1458 für die Zeit seiner Abwesenheit zum Generalvikar in weltlichen Angelegenheiten ernannt; s.o. Nr. 5804. Sein Amt begann mit der Abreise des Papstes nach Mantua am 20. Januar 1459; s. Meuthen, *Die letzten Jahre* 146 *Ann.* 8. Zum Amt des Generalvikars sowie zum Wirkungskreis des NvK s. die sehr ausführlichen Anmerkungen bei Meuthen, *Die letzten Jahre* 144-146, die hier nicht zu wiederholen sind. S. auch ebd. 29-31. Aus der neueren Literatur vgl. A. Gardi, *Il mutamento di un ruolo. I legati nell'amministrazione interna dello Stato pontificio dal XIV al XVII secolo*, in: A. Jamme/O. Poncet (Hg.), *Offices et papauté (XIV^e-XVII^e siècles). Charges, hommes, destins* (Collection de l'École Française de Rome 334), Rom 2005, 371-418. Zum Formular der Ernennungs-urkunde s. A. de Boiard, *Le régime politique et les institutions de Rome au Moyen Âge 1252-1347*, Paris 1920, 335-339 Nr. 40.

²⁾ Iacopo Ammanati Piccolomini; s.o. Nr. 4512 *Ann.* 2.

³⁾ Terre Arnolfe, ein Burgenkomplex zwischen Terni, Spoleto und Narni, den bereits Ks. Heinrich II. im Jahre 1014 Papst Benedikt VIII. geschenkt hatte; vgl. E. Martinori, *Terre arnolfe*, in: *Bollettino per l'Umbria* 30 (1933) 93-117; P. Rinaldi, *Le Terre Arnolfe*, in: *Memoria storica* 1 (1992) 107-117.

maturitate consilii et morum elegantia aliisque quam multis virtutum titulis insignivit, in cuius affectibus 20
geritur, prout indubitanter tenemus sedare fluctuantes turbines, iustitie terminos colere, humiliare
superbos, rebelles inobedientesque compescere et errantes ad viam reducere veritatis, quod nos in nostra
absentia repugnante natura non possumus, assistente tibi divina gratia fideliter exequaris, matura delibe-
ratione prehabita super hoc cum venerabilibus fratribus nostris sancte Romane ecclesie cardinalibus de
eorundem consilio et assensu te in Urbe Romana, Patrimonii sancti Petri in Tuscia, Campanee et 25
Maritime provinciis necnon terris specialis commissionis, ducatu Spoletano, Perusini ac Sabine et Arnul-
forum terris ad nos et dictam ecclesiam spectantibus et pertinentibus pro nobis et eadem ecclesia
vicarium generale in temporalibus cum pleno apostolice sedis legati de latere officio usque ad nostrum
et eiusdem sedis beneplacitum constituimus et etiam deputamus tibi Urbem, provincias et terras predictas
cum earundem districtibus et pertinentiis necnon personas, cives, habitatores et incolas earundem cuius- 30
cunque status, gradus, ordinis, preeminentie, dignitatis etiam pontificalis et conditionis existant, etiam si
se exemptos a quocunque legationis officio putaverint, nostro et dicte ecclesie nomine unacum nostris
gubernatoribus et rectoribus in suis provinciis et terris deputatis iam seu deputandis, qui tibi nichilominus
subsint, regendi, gubernandi, administrandi et, prout celestis gratie infusio et tua prudentia administra-
bunt, reformandi, corrigendi, occupata recuperandi necnon illa et alia deformata in statum pristinum 35
reducendi et in eis iurisdictionem omnimodam exercendi, civiles et criminales causas quascunque etiam
superiorum quorumcunque ecclesiasticorum vel secularium quacunque auctoritate, dignitate vel prehe-
minencia fulciti fuerint atque earundem et aliorum quorumcunque infra terminos tui vicariatus etiam
secundarias et primas appellationes, que ad te interponentur in Urbe, provinciis et terris predictis earun-
demque pertinentiis et districtibus per te vel alium seu alios audiendi, cognoscendi, decidendi et fine 40
debito terminandi earundem cognitionem, discussionem et decisionem alii vel aliis communiter vel
divisim, generaliter vel specialiter infra dicti tui vicariatus terminos, prout tibi videbitur, etiam sine figura
iudicii, sola facti veritate inspecta, committendi et ad te, cum placuerit, revocandi, homagia et iuramenta
fidelitatis recipiendi omnesque et singulos cuiuscunque excellentie, auctoritatis, nobilitatis, preeminentie,
conditionis et status existant, quos iustitia suadente privandos videris, contra quos procedere valeas, 45
privandi ac quemlibet eorum suis dignitatibus, honoribus, comitatibus, baroniis, dominiis, civitatibus et
terris, feudis, retrofeudis, vicariatibus, officiis, iurisdictionibus, beneficiis, iuribus et rebus omnibus iuxta
delicti qualitatem deponendi et amovendi eaque dicte ecclesie confiscandi et etiam applicandi et incorpo-
randi atque etiam in ipsa Urbe nostra Romana, quandiu curia nostra ibidem fuerit, in quoscunque curiales
et ipsam curiam sequentes sive cortisanos ac officiales quoscunque ipsius curie nostre et officiorum 50
ipsorum presidentes cuiuscunque status, gradus, ordinis aut conditionis, dummodo non cardinalatus
existant, omnimodam iurisdictionem exercendi eosque pro excessibus puniendi et, prout demeruerint
sive deliquerint, a suorum officiorum exercitio suspendendi et, si id iustitia suaserit, eos etiam officiis
huiusmodi privandi et destituendi, basilicas quoque beati Petri principis apostolorum necnon beati Pauli
apostoli, sancti Johannis Lateranensis, beate Marie maioris et quascunque alias ecclesias, monasteria et 55
conventus ipsius Urbis et personarum earundem a maiore usque ad minimum visitandi⁴⁾, deformata
reformandi in illisque statuta et ordinationes perpetuo vel ad tempus inibi servandas condendi et faciendi
et personas huiusmodi puniendi iuxta ipsarum excessuum qualitatem ac easdem suadente iustitia benefi-
cii, officiis et dignitatibus eorum privandi indeque amovendi eorumque beneficia, officia et dignitates
preterquam in ipsis sancti Petri, sancti Johannis Lateranensis et Marie maioris ecclesiis prefatis aliis 60
conferendi et de illis providendi, quecunque etiam beneficia ecclesiastica et dignitates, que infra terminos
tue legationis vacare contingerint quoquo modo dictarum trium ecclesiarum ipsius Urbis et curiam
nostram sequentium sive cortisanorum, et principalibus collegiatarum atque maioribus post pontificalem
dignitatem duntaxat exceptis, personis, de quibus tibi videbitur conferendi; necnon etiam inter comites,
barones, milites, dominos temporales et nobiles ac personas alias seculares et ecclesiasticas necnon 65
communitates et universitates ac populos et omnes alios seculares discordes et dissidentes Urbis, provin-
ciarum et terrarum at districtuum prefatorum pacem et concordiam faciendi et inter eos treugas
indicendi ipsosque ad eas et eorum observationem quibuscunque penis, districtionibus, sententiis et
censuris, prout tibi videbitur, compellendi, concordes in unitate et caritatis vinculo confirmandi et
quibuscunque dominis, communitatibus, universitatibus et singularibus personis pro statu, honore, pace 70

⁴⁾ Von den auf dieser Grundlage erfolgten Reformversuchen zeigen vor allem die Initiationspredigten des NvK; s.u. Nr. 5835, 5843, 5854, 5864.

et tranquillitate huiusmodi necnon confusione hostium et rebellium prefate ecclesie Romane pro illis temporibus ac sub pactis, modis, conditionibus et capitulis atque penis, de quibus tibi videbitur expedire, tractandi, firmandi et concludendi, colligationes, confederationes, pactiones, conventiones, societates et ligas contra ipsam Romanam ecclesiam vel bonum pacis et statum illarum partium pacificum sive in
75 preiudicium seu damnum Urbis, provinciarum et terrarum predictarum seu incolarum huiusmodi vel alicuius eorum initas vel ineundas cassandi et annullandi penasque super illis adiectas vel adiciendas et iuramenta prestita relaxandi, occupata iniuste a quibusvis occupatoribus et detentoribus exigendi et recuperandi necnon delinquentes ad nostram et dicte ecclesie gratiam et obedientiam reducere et super
80 inhabilitatibus et infamiis, quas propterea incurrerunt, dispensandi, excessus, penas et multas per te infligendas, prout ad publicum interesse spectare dinoscitur, remittendi, generales quoque et particulares exercitus in auxilium eiusdem ecclesie et pro manutatione status pacifici Urbis, provinciarum et terrarum predictarum huiusmodi et cuiuslibet earundem ac vicariorum eidem ecclesie subiectorum
contra quoscunque etiam rebelles et hostes ipsius Romane ecclesie ac etiam indevotos et ei inobedientes statusque pacifici predicti perturbatores quoscunque et ex causis aliis quibuscunque, quandocunque tibi
85 videbitur, indicendi, faciendi et congregandi, hostes insuper, rebelles et contradictores quoslibet per amotionis, privationis, depositionis, relegationis ac prescriptionis perpetue vel temporalis, etiam sententialiter, prout ad ipsam ecclesiam pertinuerit, sublato appellationis obstaculo compescendi, parlamenta etiam generalia in Urbe, provinciis et terris predictis seu aliqua ipsarum, quandocunque et quotienscunque pro statu et honore nostro et Romane ecclesie paceque et tranquillitate Urbis, provinciarum et
90 terrarum predictarum tibi videbitur expedire, vocandi et faciendi, ordinandi et statuendi omniaque alia et singula huiusmodi vicariatu durante gerendi, faciendi, exercendi ac tractandi, que ad huiusmodi vicariatus officium pertinere noscuntur, de consuetudine vel de iure ad honorem et statum nostrum ac ipsius Romane ecclesie pacem et tranquillitatem omnium tuo regimini commissarum Urbis, provinciarum et terrarum predictarum necessaria et utilia fore prospexeris, non obstantibus privilegiis ac indulgentiis tam
95 apostolicis quam aliis generalibus vel specialibus sub quacunque forma vel expressione verborum cuiuscunque cuiuscunque status, gradus, conditionum vel ordinum, etiam Cisterciensis, Cluniacensis, Premonstratensis, Grandemontensis, Cartusiensis, Vallisumbrose, Camaldulensis, Humiliatorum, sanctorum Benedicti et Augustini, hospitalium sancti Johannis Jerosolimitani, sancte Marie Theutonicorum, Calatravensis, sancti Spiritus in Saxia⁵⁾ et sancti Antonii seu quorumcunque ordinum aliorum sint concessis necnon
100 statutis et ordinationibus Urbis, provinciarum et terrarum predictarum, que nulli cuiuscunque predictorum aut persone alteri cuiuscunque preheminentie, dignitatis, excellentie, conditionis aut status fuerit, volumus suffragari, concedentes plenam et liberam harum serie facultatem. Nos insuper sententias, censuras et penas, quas ferri et proferri vel infligi aut promulgari et omnia, que per te rite fieri contigerit, rata habebimus eaque faciemus auctore domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

105 Ut igitur premissa omnia plenius et utilius valeas exercere, universis et singulis Urbis, provinciarum et terrarum predictarum senatori⁶⁾, conservatoribus⁷⁾, rectoribus, gubernatoribus, vicerektoribus, potestatibus, capitaneis, vicariis, armigerarum gentium et peditum capitaneis⁸⁾, marescallis⁹⁾ et provisionariis ad nostra et prefate ecclesie stipendia vel servitia in dictis Urbe, provinciis et terris militantibus presentibus et futuris ceterisque officialibus, thesaurariis, castellanis, gabellariis et publicarum sanctionum exactoribus
110 ac aliis quibuscunque nobis et prelibate ecclesie subditis cuiuscunque status, dignitatis ecclesiastice vel mundane ordinis vel conditionis existant, damus tenore presentium districtius in mandatis, ut tibi ac deputandis a te huiusmodi vicariatus officio durante efficaciter pareant et intendant. Tu igitur divina et apostolice sedis confisus gratia onus huiusmodi tam meritorii negotii devota mente et animo leto suscipiens te in illius executione taliter verbo et opere studiosum exhibeas, quod tuis fructuosus laboribus
115 celesti tibi favente gratia sperati fructus adveniant tuque per sollicitudinis tue ministerium illam, que pias causas gerenti pro retributione impenditur, palmam glorie feliciter consequi merearis. Datum Rome

⁵⁾ Zu diesem Hospital s.u. Nr. 5941 Anm. 4.

⁶⁾ Das Amt des Senator Urbis übte in dieser Zeit der Mailänder Gesandte Sceva da Curte aus, s.o. Nr. 5824 Anm. 2.

⁷⁾ Zu diesem Amt s. Caravale, Entrate e uscite 183; Rebberg, Stadt und Kommune 227, 230f.

⁸⁾ Oberster Hauptmann der päpstlichen Truppen war damals Giovanni Malavolta aus Siena; s.u. Nr. 5852 Anm. 3.

⁹⁾ Zu den Marescialli s.u. Nr. 5848, 5852, 5939.

apud Sanctum Petrum anno incarnationis dominice millesimo quadringentesimo quinquagesimo octavo,
tertio Idus Januarii, pontificatus nostri anno primo.

De curia¹⁰⁾
Jo. de Cichinis¹¹⁾ 120

¹⁰⁾ *Dieser Vermerk bezeichnet Bullen, die unentgeltlich im Interesse der Kurie ausgefertigt wurden, ohne dass eine vorherige Supplik nötig war; s. Kraus, Sekretäre 37f.*

¹¹⁾ *Johannes de Cichinis, 1455-1462 als apostolischer Schreiber nachgewiesen; s. Frenz, Repertorium Officiorum Romane Curie, s.v.*